

Per tegumenta pluvis famosus adulter Anubis
 Sic fidus parcum spernis¹⁾ Cillenius arcum
 Nil reliquum mittis properando Cupido sagittis,
 Ignicolor Phebus his te coniungito rebus.
 Nam sine te raro conclusit talia Maro
 Nec non alma Ceres merito tu talibus heres
 Convenis et tali pacto tu Bachus amari²⁾
 His comitata tuum Mercuri virgo meatum²⁾
 Per vestrum morem fronti suscepit Amorem
 Plurima tunc ludunt, ubi convenientia nubunt.

Hos equidem versiculos, cum una dierum, nescio quid nugarum more meo ruminans, non premeditata ratione, verum quasi in extasi mentis stili officio cereꝑ capacitati ego scholarum, non merito sed gratia, magister insculperem, ecce de ambulationis eventu affuit domnus G. et quasi Celeno si fas est dicere de tantę virtutis viro, arrepta tabula introspectit, perlectisque me invito ipsis, ut ita dixerim, extasiacis versiculis instanter perquirere cepit, cuius rei causa hæc placuisset azęphalomata³⁾ tituloque carentia cornicari. Primum vero dissimulare volentem ad latus mihi residens acrius interrogavit. Cui ego: Multa inquam in diversis artium instrumentis mihi volventi quoddam non parva admiratione incidit dignum. Illud videlicet quam specie massę, quibusve metalli instrumentis invisibilem Lemnius catenam conflaret, qua aureę guttas pluvieꝑ dulcis arvi cultureꝑ copulavit? ideoque coniectabam, si quid in huius modi catenę conflatione eorum, quos prenotavi, ars prodesset?⁴⁾ Prodest inquit, immo necessaria sunt eorum adiumenta, sine his enim fragilitas huic copuleꝑ accidit. Ita, inquam, puto, eaque de causa hos coniectabam versiculos. Et ille volens discutere quid esset: Nosti, inquit, cetera, quę fabrili expetit sciencia? Novi, inquam, partim, nam nihil in humanis rebus ex omni parte perfectum est, verum nec Dedali alas, nec Lemnii invisibiles catenas presumo; ut faber tantum ferrarius solidum ac integrum opus exerceo. Placet, inquit, simulque ita prosecutus est: apud nutriculum meam Coloniam unde nuperus redivi, quinque mirę claritatis vascula, campanas dico, quinque diversa metalli specie intermixtas sonoriorem omnibus Colonię immo altiore tinnitum reddituras, si quidem batellos convenientes haberent, contemplatus sum. His quia carent, mutę obsordescunt, tantęque claritudinis tinnitus in eis latet et obscuratur, dum conveniens non habetur. Omnis enim virtus sine necessario, ut sol sub nubibus obscuratur. Conare igitur, si quid ars tua possit efficere. Faciam, inquam, tui causa libenter. Quamcumque ex eis unam fabрили mei sciencię commendare placuerit, gnomonica

1) Hs.: spennis. 2) amari und meatum auf Rasur von anderer Hand. 3) So muss wohl das azępholamuta der Hs. gelesen werden? 4) Hs.: proesset.